

## De parte Babrianarum fabularum secunda.

---

Non ita longum tempus est ex quo in manus meas venit Babrianarum fabularum pars secunda, quam ex apographo codicis in monasterio montis Atho conservati anno 1859 primum edidit G. C. Levisius, vir clarissimus, idemque iam antea de Babrio optime meritus. Sperabam equidem nihil aliud mihi faciendum fore quam ut in Anglico quodam diario quid de novis Babrii carminibus, quid de Levisii opera iudicandum esset, breviter exponerem. Cum autem librum evolventi gravissima oborta esset suspicio fabulas istas a falsario nescio quo, si non omnino confictas, id quod potius credo, certe aliqua ex parte non ita pridem interpolatas esse, rem aliter mihi esse gerendam intellexi. Scilicet ea est censurarum Anglicarum ratio quae criticas disputationes de literis Graecis et Latinis fusius conscriptas non patiat: quod autem quaestiones huiusmodi quasi unicam materiam tractandam sibi sumpserat diarium, a quibusdam Cantabrigiensium eruditis, mihi amicissimis, administratum, id iam paucos ante menses, quod maxime dolendum, prae fautorum inopia conticuit. Decrevi igitur rem totam cum doctis non magis nostratium quam ceterarum quoque gentium communicare, disputatione in museo Rhenano publicata: qua in venia concedenda editorum insignissimorum humanitatem gratus agnosco.

Ac primum, ante quam meas rationes exponam, e re erit quae de codice apographoque eius in praefatione dixit Levisius paullo auctiora repetere. Sic igitur ille. „Mense Augusto, A. D. 1857, Musei Britannici custodes duos codices Babrianos, a Mena Minoide Graeco redemptos, inter libros Musei Manuscriptos deposuerunt. Primus codex in pergamena, saeculo forsitan undecimo, scriptus, fabulas continet CXXIII a Boissonadio A. D. 1844 Parisiis editas, et saepius dehinc repetitas. Alter chartaceus est, apographum codicis cuiusdam, qui, paucis abhinc annis a Mena Minoide in Monte Atho repertus, huc usque non comparuit. Fabulas continet XCV, alphabetico ordine secundum literam primi versus initialem dispositas, et forma metrica descriptas. Titulum habet *Ἐκ τῶν τοῦ Βαβρίων χαλιῦμβων*. Ex hoc codice“ (apographum dicit) „fabulae

quae nunc in lucem prodeunt transcriptae sunt. Fabulae ipsae, quamvis multos Babrii choliambos, et, etiam ubi metrum pessumdatum sit, multa locutionis Babrianae vestigia exhibeat, recensionem subiere quae formam pristinam misere corripit. Sensus tamen ut plurimum integer remansit." Praeter haec pauca quaedam mihi per literas nota fecit ipse Levisius, qui inter res civiles administrandas antiquitatis studiorum non obliviscitur. Dicit igitur Menas se codicem ipsum in monasterio nescio quo montis Atho invenisse, inventumque redimere voluisse; quod cum praefracte denegassent monachi, se exemplar confecisse quod codici ad amussim responderet. In Europam reversus, primum ad Francogallorum magistratus se contulit, ut par erat, qui apographum codicis prioris redemissent; quibus tamen haud persuasit ut quae narraret vera esse crederent. Itaque in Angliam perrexit, ibique convenit Levisium, qui et ipse primum de novarum fabularum fide dubitavit, postea vero, sententia mutata, apographum dignum quod redimeretur censuit: redemerunt autem Britannici musei custodes. Atque haec quidem de codice eiusque apographo. Vident lectores, quae dixit Menas satis congruere cum iis quae narraverat de priore fabularum parte, cuius fidem comprobavit cum doctorum omnium de fabulis ipsis iudicium tum etiam ipse codex nunc tandem, ut supra memoravi, inter libros Britannici musei manuscriptos relatus. Notandum tamen est monachos alterum codicem, teste Mena, eo ipso tempore quo repertus est, vendituros fuisse, si emptorem satis prodigum invenissent, alterum vendere omnino noluisse. Illud etiam scire velit aliquis, monasterium in quo repertus est novus iste codex a priore illo monasterio diversum fuerit necne; de quo tamen se nihil a Mena compertum habuisse scribit Levisius.

Difficile est dicere an priorem fabularum Babrianarum partem legentibus verisimile esse debuerit alterum quoque volumen olim existisse. Nam priorem illam partem mancam ad nos pervenisse non est cur moneam, cum id satis clare indicet alphabeticus literarum initialium ordo. Fuisse circiter CLX fabulas, quarum circiter XL interierunt, probabiliter statuit Levisius. Memorat sane duo volumina Avianus, futilis ille quidem auctor: quae tamen volumina in uno eo quem habemus libro facile comprehendere poterunt, ut e duobus proceemiis, in eodem libro adhuc servatis, colligere licet. Nec minus recte monuit Levisius decem illos libros de quibus loquitur Suidas, si ad normam Phaedri libellorum compositos esse credas, for-

tasse non amplius quam CLX fabulas continuisse. Iam vero si ad fragmenta Babriana, a Suida aliisque scriptoribus servata, spectes, inuenies maximam eorum partem in fabulis illis CXXIII, quae in libro mutilo adhuc leguntur, iam dudum comprehendi. Ex fabulis quoque, quae antea a viris doctis restitutae erant, maxima pars, ut verbis Levisii utar, in eodem codice continetur. Haec omnia, quae in praefatione editioni suae prioris praemissa Levisius collegit partim Lachmannum secutus, digna sunt quae perpendantur ab iis qui ad alteram fabularum partem examinandam accedant. Contra allegari potest, superesse initium fabulae unius, fortasse etiam alterius, quibus codicem Athoum caruisse ostendit literarum ordo: cui quidem defectui succurrit Lachmannus textum mutando, Levisius vero monendo fieri posse ut librarius fabulam unam et alteram incuria praetermiserit. Sed concedamus non incredibile esse Babrium praeter CLX illas fabulas etiam XCV alias (tot enim continet novus iste liber) scriptas reliquisse. Meminerimus librum istum ad nos sic ordinatum pervenisse ut diasceustae manum corruptricem non mediocriter expertus esse videatur. Expectandum erat igitur in libro isto inventum iri cum reliquias Babrianas, si quae in priore codice non comprehensae sunt, tum etiam fabulas quas e pedestribus versionibus eruerunt viri docti, non certe omnes (nam nonnullae ad XL illas quae deperierunt pertinuerint necesse est), sed plerasque. Neque eam spem fefellit eventus. Quippe ex XXIII seu fabulis seu fragmentis quae editioni Lachmannianae accesserunt continentur in libro novo quindecim, desiderantur octo. Quod autem pari iure expectandum erat, versus Babrianos qui in prioribus editionibus vulgati sunt eandem fortunam expertos esse quam isti quos non nisi a libro novo accepimus, id profecto longe aliter evenit. Nam ut rem omnem paucis verbis complectar, quae vere Babriana liber isto continet, ea fere omnia iam omnibus nota sunt, quae autem antea ignota, ea fere omnia minime Babriana. Pepercit plerumque diasceusta versibus Babrianis quos citaverunt veteres auctores, restituerunt eruditi, ceterorum maximam partem pessimum in modum mulcatam in publicum emisit. Neque tamen prorsus eadem est fragmentorum atque fabularum restitutarum conditio. Nam fragmenta, tali fere modo comparent quo a Babrio relicta esse veteres testati sunt; in fabulis ipsis non pauca novavit diasceusta, sic tamen ut cum recentiorum coniecturis saepius quam par esset conspiraret. Itaque primum de fragmentis agamus. Continet liber iste fragmenta cir-

citer novem, constantia e versibus circiter XXIV. Ex his duo tantum versus ex industria corrupit diasceuasta, tertium, quem a Suida mutilum accepimus ita immutavit ut fortasse aliquanto meliorem redderet, ceteros aut plane intactos reliquit aut lenissime variavit. Quae clementia quanti facienda sit, ex iis quae dicturus sum apparebit. Nam e tot numero versuum e quibus constat iste liber (sunt autem fere MCCCXL), vix centum inventum iri arbitror quos Babrio plane dignos esse credas. Integri quidem choliambi sunt circiter DCCXVI, hoc est, plus quam dimidium totius libri; sed ex his multos infecit mera barbaries, plures etiam sunt quos facile scribere potuit literator quivis e trivio. Praeclare igitur res gesta est si e centum illis melioris notae versibus quartam fere partem sibi vindicare potuerunt ista fragmenta. Hoccine forti fortunae imputandum est? an alia suberat causa, quae diasceuastam nostrum fragmentis parcere, in ceteros versus paene omnes, qui et ipsi, si quid credimus, aequae Babriani fuerunt, tam ferociter saevire impelleret? Sed alia res est quae animadverti debet. Nam verus illo Babrius, quem tradidit nobis prior codex Athous, sicut alii boni scriptores, interdum sibi inaequalis est: alios versus scribit quos panxisse potest quilibet linguae metrique Graecorum satis peritus, alios quos non nisi poetae ipsi acceptos retuleris. Liquet igitur non tam ex illis quam ex his diiudicandum esse quid vere Babrianum, quid non. Iam, ut ad fabulas novas revertamur, habent sane istae paucos versus quos neminem nisi Babrium scripsisse crediderim; hos autem omnes iam antea servaverant nobis aut fragmenta aut pedestres fabularum versiones. Quis enim non statim cum Tyrwhitto agnoscat elegantem Babrii manum in suavissimo versiculo

*Ἵμητιῖα μέλισσα, κηρίων μήτηρ,*

quem servavit quidem diasceuasta, servavit autem etiam versio pedestris? Quem tamen si exceperis, soli versus quos unice Babrianos esse contenderim in fabula de gallis asinoque continentur; quam fabulam eo libentius totam exscribam, quod inde, nisi fallor, aestimare poterimus, versibus collatis cum inter se tum etiam cum pedestri versione, quantillam in Babrio conservando laudem meruerit diasceuasta.

*Γάλλοις ἀγύρταις εἰς τὸ κοινὸν ἐπράθη  
ὄνος τις οὐκ εὖμοιρος ἀλλὰ δυσδαίμων,  
ὅστις φέρη πτωχοῦσιν ἠδὲ πανούργοις  
πείρης ἄκος δίψης τε καὶ τὰ τῆς τέχνης.*

- 5 οἱ τοὶ δὲ κύκλῳ πᾶσαν ἐξ ἔθους χῶρον  
περιόντες ἦττον ὄψα. Τίς γὰρ ἀγροίκων  
οὐκ οἶδεν Ἄτιν λευκὸν, ὡς ἐπηρώθη;  
τίς οὐ προθοίνας ὀσπρίων τε καὶ σίτων  
ἀγνῶ φέρον δίδωσι τυμπάνῳ Ῥεΐης;  
10 ὄνος δ' ὁ τλήμων πολλὰ βυστάζων ὤμοις  
πεσῶν τεθνήκει, τῷ κόπῳ δ' ἀπηνθήκει·  
ὄνπερ κάπεκδείραντες οἱ συναγύρται  
δορὴν τάνυσσαν, τῦμπαν' ἤραρον, τούτου,  
καὶ τυμπανήρεις ἐτρόχαζον ἐν κώμαις.  
15 ἑτέροις δὲ πῶς συνηβόλησαν ἀγύρταις  
οἱ σφᾶς ἐπυνθάνοντο τίπτ' ὄνος πράττοι.  
Θανεῖν πάλοι μὲν εἶπον, ἀλλ' ὅμως ἤδη  
πληγὰς τοσάσδε λαμβάνειν, ὅσας εἰ ζῶν  
ἀκμὴν ὑπῆρχεν, οὐδαμῶς ποτ' ἂν ἔτλη.

Sequitur pedestris versio, qualis apud Coraem exstat  
fab. 241.

Μηναγύρται ὄνον ἔχοντες, τοῦτω εἰώθεσαν τὰ σκευή  
ἐπιτιθέεντες ὀδοιπορεῖν. Καὶ δὴ ποτε ἀποθανόντος αὐτοῦ  
ὑπὸ κόπῳ, ἐκδείραντες αὐτόν, ἐκ τοῦ δέρματος τῦμπανα  
κατεσκεύασαν, καὶ τοῦτοις ἐχρῶντο. Ἐτέρων δὲ αὐτοῖς μη-  
ναγυρῶν ἀπαντησάντων καὶ πυνθανομένων αὐτῶν ποῦ ἂν  
εἶη ὁ ὄνος, ἔφασαν τεθνηκέναι μὲν αὐτόν, πληγὰς δὲ τοσαύ-  
τας λαμβάνειν ὅσας οὐδὲ ζῶν ὑπέμεινεν.

Vides quantum inter se distent versus novem priores  
fabulae metricae et decem qui deinceps sequuntur. Scilicet  
in illis satis amabiliter lusit festivum poetae ingenium: hi  
vestigii pedestris versionis non serviliter quidem, sed  
tamen multo pressius insistent. Atqui illos omnes serva-  
verunt nobis Tzetzes et Natalis Comes, quorum citationi-  
bus ad amussim respondet diasceuastae versio, nisi quod  
in versu tertio metrum aliquantum corruptit, in ceteris duo  
verba, ἦττον pro ἔλεγον et προθοίνας pro ἀπαρχὰς de  
suo intulit, duo praeterea, τὰ τῆς pro κακῆς et ὄψα c  
Lachmanni conjecturis, altera quidem veri simillima, altera,  
de qua mox dicendum erit, admodum dubia, mutua sumpsit.  
E ceteris ut aliqua ex parte non prorsus incite compositos  
dicas, nullus est quem non quivis doctus ope pedestris  
versionis possit conpingere. Vt singulos percurram, lau-  
dabiles sunt vv. 10, 16, 17, 18, quamquam animadverten-  
dum est verba εἰ ζῶν, sic posita, peccare contra regulam

Fixio - Ahrensianam, de qua Levisius quidem scribit mihi se dubitare, ego certe propter ingentem sanorum versuum consensum dubitare non possum. In v. 14 vox *τυμπανή-  
ρεις*, sicut non paucae in istis fabulis, callide aut ficta aut delecta est: displicent tamen *ἐτροχάζον ἐν κόμμαϊς*. In v. 11 notandus est usus plusquamperfectorum loco aoristorum, satis ille quidem a diasceuasta nostro frequentatus: quanquam negare non possum verum Babrium in paucis locis, fortasse Homeri et Herodoti consuetudinem secutum, plusquamperfecta similiter usurpasse. In v. 13 insulsum istud *τοῦτον*, quod et ipsum saepissime frequentat diasceuasta, non longe a barbarie dissidet. Denique vv. 12, 15, 19 ne metrum quidem conservant; qui enim cum Levisio v. 19 restituere velit, *ποτ' ἄν* in *ἄν οὐκ* mutato, vereor ne is operum perdat, cum fab. 48 v. 4 potius ostendat mensuram particulae *ἄν*, sicut ceterorum vocalium quae non natura breves sunt, diasceuastae ancipitem visam esse. Quid plura dicam? nonne vel ex hoc uno exemplo apparet quid praestare potuisset diasceuasta, si fragmentorum ope omnino caruisset?

Venio nunc ad fabulas quae ante librum istum vulgatum a viris doctis seu totae sive ex parte restituae erant. Ex his quartam fere partem praetermisit diasceuasta; ceterae in libro novo continentur. Supra monui eum cum his multo liberius egisse, adeo ut non modo voces saepius variaret, sed etiam novos versus interdum inferret, orationem et metrum non raro corrumpere. Quae omnia ab antiquo antiqui operis diasceuasta certe exspectanda erant. Neque est cur invidias si cum criticis eruditorum coniecturis aliquando consentientem deprehendas. Quid enim aliud profitetur critica coniectura nisi textum restituere quo usum esse credas huiusmodi diasceuastam? Illud autem suspicionem movere debet, si invenies eum aut coniecturis audacioribus neque veri similibus faventem aut in verba unius alicuius critici iurare addictum. Quorum in utroque genere peccavisse nostrum me brevi demonstraturum spero. Nam et Lachmannum, ceteris neglectis, unice sequitur, et audaciores eius hariolationes ratas esse iubet. Scio quidem Lachmannum, ut neminem alium, in Babrio emendando profecisse: sed neque is vidit omnia, et interdum quae extra divinandi facultatem sita sunt divinare conatus est. Pergam igitur locos ubi diasceuasta cum Lachmanno conspirat sigillatim attingere: quorum si nonnulli leviores visi fuerint, meminerint lectores rem non ex hoc vel illo sed ex universis iudicandam esse.

Narrat Tzetzes Chil. 9. 168 Aesopi, ut dicit, fabulam de aquila telo percussa tetrametris politis, quorum ultimus est *ἐμοῖς πτεροῖς, ἐβόησεν, ἐγὼ νῦν κατεβλήθην*. Vnde effecit Lachmannus choliambum, *πτεροῖσι τοῖς ἐμοῖσι νῦν κατεβλήθην*. Quod idem comparet fab. 10. 6, ubi exhibet codex non quod dedit Levisius *κατεννήθην* sed *κατεβλήθην*, id quod ex nupera libri ipsius inspectione testari possum, quanquam literarum βλ et νν prout ibi scriptae sunt tanta est similitudo ut facile quemvis possit decipere. Vides Lachmannum sine causa Tzetzæ verba inter Babrii fragmenta retulisse; vides consentire diasceustam.

Fabulam cui t̄tulus *Ζεὺς κριτής* ex pedestribus versionibus certatim restituerunt critici. Restat tamen aliqua dubitatio de priore fabulae parte, quae in altera pedestrium versionum sic legitur, *ὁ Ζεὺς τὰς τῶν ἀνθρώπων ἁμαρτίας ἐν ὀστράκοις τὸν Ἑρμῆν ὄρισε γράφειν καὶ εἰς κιβωτὸν ἀποιδέναι πλησίον αὐτοῦ, ὅπως ἐκάστον τὰς δίκας ἀναπράσῃ*, in altera autem sic, *ὀστράκῳ γράφοντα τὸν Ἑρμῆν ἁμαρτίας ἐκέλευσεν ὁ Ζεὺς εἰς κιβωτὸν ταύτας σωρεῖν, ἵν' ἐρενήσας ἐκάστον τὰς δίκας ἀναπράσῃ*. Ἑρενήσας in ἐρενήσας mutavit Coraes (quod tamen ad metricam fabulam pertinere non censet Levisius), αὐτὰ σωρεῖν emendavit C. Schneiderus, ὅπως ἐκάστον τὰς δίκας ἀναπράσῃ gonuinum esse choliambum agnoverunt omnes, cetera alii aliter constituunt. Totum locum ad hunc modum exhibet Lachmannus, Schneidewino obsequente:

Ὁ Ζεὺς γράφοντ' ἐν ὀστράκοισιν Ἑρμείην

· · · · ·

ἐκέλευσεν εἰς κιβωτὸν αὐτὰ σωρεῖν

· · · · · ἐρενήσας

ὅπως ἐκάστον τὰς δίκας ἀναπράσῃ.

Verum hunc vidisse arbitraris? an scrupulum iniicit prior versus, qui licet perite excogitatus, a vestigiis pedestrium versionum aliquantum recedit? Sic tamen in novo libro legimus, fab. 51. 1—5.

ὁ Ζεὺς γράφοντ' ἐν ὀστράκοισιν Ἑρμείην

βροτῶν πονηρῶν τὰς ἁμαρτάδας πάσας

ἐκέλευσεν εἰς κιβωτὸν αὐτὰ σωρεῖν,

καλῶς ἀπάντων βιοτῆν ἐρενήσας,

ὅπως ἐκάστον τὰς δίκας ἀναπράσῃ.

De quibus hoc tantum monebo, vocem *ἐρευνήσας*, si ea vere Babriana sit, pertinere non ad *ἐκέλευσεν* sed ad *ἀναπράσση*, cum investigatio non ante fieri possit quam testae in arca collocatae sint: neque aliter sensisse credo Lachmannum, qui post *ἐρευνήσας* non distinxit. Qui autem versum istum claudicantem procudit *καλῶς ἀπάντων βιοτήν ἐρευνήσας*, quem spurium esse nimis clementer iudicavit Levisius, is procul dubio *ἐρευνήσας* cum *ἐκέλευσεν* coniunctum voluit. Nunquid igitur dubitemus eum lineas a Lachmanno adumbratas ante oculos habentem sibi proposuisse ut opus inchoatum quoquo modo absolveret?

Fabula de asiāo et catello iam a multis restituta est, sic tamen ut etiam post eorum curas qui choliamborum leges noverant non raro dubitationi locus relictus sit. In hac ordinanda, ut in reliquarum plerisque, non omnino male rem gessit diasceuasta, adeo ut, si is esset quem se esse profiteretur, aliquantum ad fabulam magis expoliendam conferre posset. Sed hic quoque, nisi fallor, veram hominis aetatem prodit nimia observantia Lachmanni, quem iter praemonstrantem non raro quidem deserit, sequitur tamen semel in loco admodum dubio. Fabulae initium sic legitur in pedestri versione longiore, quae fere choliamborum mensuram conservavit: ὄνον τις ἔτρεφε καὶ κννίδιον πάνυ ὠραῖον, unde expulso πάνυ, choliambum effecit C. Schneiderus Babrio satis dignum. Obsecuti sunt alii: Lachmannus non item. Is, cum in duabus aliis versionibus, in quibus choliamborum nec vola nec vestigium exstat, *κύννα Μελιταῖον* memorari invenisset, locutionem plane Babrianam esse ratus, versum excogitavit ὄνον εἰχέ τις καὶ κννίδιον Μελιταῖον, quem propter productionem secundae syllabae τοῦ Μελιταῖον, nonnisi uno eoque dubio Lycophronis loco confirmatam, reiiciendum esse monuit Levisius. Diasceuasta autem, qui ut ipse metrum sexcenties corruptit, ita metri corruptoribus morigerari debuit, versum Lachmannianum ambabus ulnis amplexus est. Idem quod cum Lachmanno conspirat reponenti v. 15 eiusdem fabulae ἔθλα pro θλάσεν, v. 17 ἐγγὺς — κίσσων pro εἰθὺς — κροῖσων, fortasse non mirandum est, cum illud quidem verisimile sit, hoc autem, si quid video, verissimum: quamquam ipsum diasceuvastam, si suae voluntati obsecutus esset, θλάσεν praelaturum fuisse crediderim. Maiorem autem dubitationem movet quod in fine fabulae ὡς δὴ καὶ τὸς ὕστατ' ἐκπνεῖων pro illo quod in pedestri versione legitur, ὡς δὲ καὶ αὐτὸς ὕστατ' ἐκπνεεν, cum Lachmanno substituit: quae cum minime certa sit coniectura, non tam a diasceuvasta fidem accipit quam fidem ipsi derogat.

In initio fabulae de pastore et lupo ex verbis ποιμὴν νεογνὸν λύκου σκίμνον εὐρών Lachmannus exculsit choliambum, σκίμνον λύκου νεογνὸν εὐρέ τις ποιμὴν. Versus est per se bonus, quanquam e pedestri versione non tam profuit quam extortus est: peccat, autem contra regulam de qua supra dixi Fixio-Ahrensianam, ideoque a Schneidewino, alias sectae Lachmannianae discipulo, iure motus est loco. Fere certum est igitur, nunquam a Babrio profectum esse hunc versum. Aliter sensit diasceusta, qui eum totum occupavit fab. 70. 1.

Venio nunc ad locum ex quo vel uno evinci possit diasceustam nostrum Lachmanno serjorem fuisse. Fabula est pedestris de vulpe et panthera, his verbis conscripta, στικτὴ ποιε πάρδαλις ἐκασχάτο φορεῖν ἀπάντων ζώων ποικιλωτέραν δέροιν· πρὸς ἣν ἡ ἀλώπηξ εἶπεν, Ἐγὼ σου τῆς δορῆς κρείττονα καὶ ποικιλωτέραν γνώμην ἔχω. In his Babrii signa odoratus est Tyrwhittus, quam recte non dixerim, cum mihi potius fabula referenda esse videatur inter illas quas trimetris iambicis ἀμέτρως composuerunt seriores Graeculi: quod genus fabulorum ut Babrium interdum secutum fuerit, argumenta plerumque ingenio suo convenienter tractasse videtur, non sine quadam poetici sermonis peritia, adeo ut si poetice locutos esse deprehendas, non propterea affirmare debeas latere in eorum iambis choliambos Babrianos. Babrium tamen reperisse sibi visus est etiam Lachmannus, qui, ut erat Tyrwhitto μετρικώτερος, tetrastichon effecit, si non Babrianum, certe Babrio dignissimum:

στικτὴ ποτ' ἠῦχει πάρδαλις φορεῖν μούνη  
δορὴν ἀπάντων ποικιλωτάτην ζώων.  
πρὸς ἣν ἀλώπηξ εἶπ'· Ἐγὼ δὲ κάκείνης  
κρείσσω τ' ἔχω καὶ ποικιλωτέραν γνώμην.

Laudes viri elegantiam: animadvertas tamen opus quod aggressus est aleae plenum esse. Scilicet dubium est ἠῦχει, dubium μούνη, dubia versus secundi conformatio, dubium denique κάκείνης. Nempe id praestare conatus est criticus quod, etiamsi non omnino vanum esse concesserim, sine codicum ope nemo praestare possit. Quantum igitur mireris diasceustam, qui fabulam totam sic exhibuit!

στικτὴ ποτ' ἠῦχει πάρδαλις φέρειν μούνη  
δορὴν ἀπάντων ποικιλωτάτην ζώων.  
πρὸς ἣν ἀλώπηξ εἶπ'· Ἐγὼ δὲ κάκείνης  
καὶ σῆς ἔχω γε ποικιλωτέραν γνώμην.

Quae dubia admisit Lachmannus, suffragio suo comprobavit auctor iste novus: quod veri similiter restitutum est, *κρείσσω*, id unum mutavit. Vide autem quorsum res evadat. Nam Lachmannus quidem verbo *κακείνης* verba *σου τῆς δοῦρας* repraesentare voluit: diasceuasta autem cum dicit *καὶ σῆς γέ* se verba pedestris seu potius iambicae versionis legisse ostendit, sed in alium usum convertit, si recte iudicavit Levisius verba eius sic intelligenda esse: habeo mentem versutiorem et ea pelle et tua mente. Nonne luce clarius est fabulam istam Babrianam non nisi post vulgatam Lachmanni editionem scribi potuisse? ut taceam de illa quaestione, quae sicut ad fragmenta ita huc etiam pertinet, quid fuerit in causa cur diasceuasta, alias Babriani sermonis hostis saevissimus, in hoc potissimum tetrasticho se tam clementem praebuerit. Equidem, quantum ad me attinet, in hoc uno tanquam in loco munitissimo, subsistere vix metuum: quoniam vero librum istum *νοθείας* convincere primus, quod sciam, aggressus sum, satius videtur alia quoque indicia, quae sanc non desunt, in lucem proferre.

In fabula de vulpe et capro duo imperfectos versiculos e pedestri versione post Bentleyum restituit Lachmannus, *κατῆλθεν εἰς βυθὸν κρημνόν, et καὶ βοηθὸν ἐζήτει*. Horum priorem non Babrianum esse demonstrat regula Fixio - Ahrensiana, quam nesciverunt Bentleyus et Lachmannus, Babrium novisse verae eius fabulae satis demonstrant. Vtrumque tamen arripuit diasceuasta (fab. 79: 2, 5) Lachmannum potius quam Bentleyum secutus, id quod docet omissa vox *μετενόει*, quam Bentleyus item e pedestri versione erutam verbis *καὶ βοηθὸν ἐζήτει* praefixerat.

Fabulae de ape et love initium sic restituit Lachmannus:

*Ἵμηττία μέλισσα, κηρίων μήτηρ,  
 . . . . . ἀνῆλθεν εἰς θεῶν οἶκους . . . . .  
 μή πω καπνισθὲν . . . . .*

De prioribus verbis non est quod dubites: de ultimis recte monuisse videtur Schneidewinus, Babrium non correpturum fuisse priorem syllabam vocis *καπνισθὲν*. Cum Lachmanno facit diasceuasta, qui locum sic dedit (fab. 80. 1—4):

*Ἵμηττία μέλισσα, κηρίων μήτηρ,  
 δῶρον φέρονσ' ἀνῆλθεν εἰς θεῶν οἶκους,  
 μέλι τῷ Διὶ νεόρροντον παρὰ σίμβλων,  
 μή πω καπνισθὲν ἄνθεων ἠδυνουίων.*

In initio fabulae pedestris de filio et patre, *υἰὸν τις*

γέρων δειλὸς μονογενῆ ἔχων γενναῖον, choliambum τὴν γέρων τις δειλὸς εἶχε γενναῖον reperisse sibi visus est Lachmannus, consentiente diasceuasta. In fine eiusdem fabulae ὄγκωμα καὶ φλεγμονὴν μέχρη βουβῶνος metro accommodatum est ab ambobus, omissis verbis καὶ φλεγμονήν. Quod autem paullo superius indagavit Lachmannus, in verbis τῆδε τῆ οἰκίᾳ κατεκλείσθην latere partem versus τῆδ' ἐν οἰκίᾳ κατεκλείσθην, id a diasceuasta non comprobari fatendum est.

Atque haec quidem sunt in quibus Lachmanno, versus e pedestribus fabulis eruenti, suffragatus est diasceuasta. Restat tamen unus locus, quem supra obiter tetigi, in fragmentis, ubi vetus iste grammaticus cum recente critico mirum quantum concinit. Pars est fragmenti a Tzetzæ servati, de gallis et asino.

οὔτοι δὲ κύκλω πᾶσαν ἐξ ἔθους κόμην  
περιόντες ἔλεγον· Τίς γὰρ ἀγροίκων  
οὐκ οἶδεν Ἄτιν λευκόν, ὡς ἐπηρώθη;

Versui secundo aperte laboranti subvenire conatus est seu Natalis comes seu Bentleius, scribendo περιόντες ἔλέγοντο. Quod a Bentleio, si non excogitatum, saltem probatum esse iure miratur Dobraeus, qui ostendit ex Porsoni placito restituendum esse περιόντες. Habemus igitur versum imperfectum quidem, sed alioqui Babrio dignum, περιόντες ἔλεγον . . . . Τίς γὰρ ἀγροίκων. Vocabulum omissum restituit Levisius, inserto πολλά: poterat etiam ὧδε. Sed ut ut illud constituas, hoc certe tenendum est, sublato isto περιόντες concidere rationem cur ἔλεγον in ἐλέγοντο mutare velit aliquis: ἔλεγον vero sensu, metro, Tzetzæ auctoritate pariter confirmari. Reicias igitur Lachmanni sententiam, admodum ingeniose rescribentis περιόντες ἐλέγοντ' ὄψα· Τίς γὰρ ἀγροίκων. Quid autem diasceuasta? Nempe, quod et antea fecit, eam partem Lachmannianae emendationis amplexus est quam soli viri clarissimi ingenio fidentissime attribuas, reliquam confirmare noluit. Scribit enim περιόντες ἦτον ὄψα· Τίς γὰρ ἀγροίκων. Huiusmodi consensum vix effecisset lusus fortunae, facile efficere potuit falsarii imprudentia, aliquid novare volentis, nescientis autem quid tuto novandum esset, quid non.

Sed prius quam ad aliam quaestionis partem transibo, ne iniquus videar, adducam ea quae in hac parte a fabularum novarum defensoribus allegari possint. Dixi diasceustam cum fabulis quas viri docti restituerant multo liberius quam cum fragmentis egisse. Cuius libertatis exempla

duo potissimum notanda sunt, fabulas dico quinquagesimam secundam et quinquagesimam tertiam. De priore, cui titulus est viator et veritas, non est cur mireris, quippe ubi multa quidem in pedestri versione variaverit diasceusta, nihil autem novi intulerit quod Babrio aut aliquo bono poetae imputaveris. Altera vero, quae ovis et canis inscripta est, longe felicius tractata est. Cuius quidem pedestris versio plures versus aperte germanos continet, haudquaquam tamen ita ex omni parte expedita est ut de restitutione eius consentirent critici. Appono initium fabulae sicut e paraphrasi codicis Vaticani, verbis non mutatis, in versus divisit Coraes.

οἷς τις εἶπε πρὸς νομέα τοιάδε·  
 κείρεις μὲν ἡμᾶς, καὶ πόκους ἔχεις κέρσας,  
 γάλα δ' ἀμέλγων, ἐστὶ σοι φίλον πῆξαι,  
 ἡμῶν δὲ τέκνα μῆλά σοι περισσεύσει·  
 πλέον δ' οὐδὲν ἡμῖν· ἀλλὰ καὶ τροφὴ γῆς  
 ἅσ' ἐν ὄρεσιν εὐθαλές τι γεννᾷ σοι,  
 ὄραία βοτάνη καὶ δρόσου γεμισθεῖσα.

Quid in his effecerint critici, e duobus exemplis cognoscendum erit. Sic igitur periclitatus est Lachmannus:

οἷων τις εἶπε πρὸς νομῆα τοιαῦτα·  
 κείρεις μὲν ἡμᾶς, καὶ πόκους ἔχεις κέρσας,  
 τὸ γάλα δ' ἀμέλγοντ' ἐστὶ σοι φλέον πῆξαι,  
 ἡμῶν δὲ τέκνα μῆλά σοι περισσεύσει.  
 πλέον οὐδὲν ἡμῖν, ἀλλὰ χῆ τροφὴ γαίης  
 ἅπασ' ἐν ὄρεσι δ' εὐθαλές τι γεννᾶται;  
 βοτάνη γ' ὄρειή καὶ δρόσου γεμισθεῖσα.

Levisius autem sic:

νομέα ποτ' οἷς λόγῳ προσεῖπε τοιοῦτῳ·  
 κείρεις μὲν ἡμᾶς, καὶ πόκους ἔχεις κέρσας,  
 τὸ γάλα δ' ἀμέλγοντ' ἐστὶ σοι φίλον πῆξαι,  
 ἡμῶν δὲ τέκνα μῆλά σοι περισσεύει.  
 πλέον δὲ γ' ἡμῖν οὐδέν· ἀλλὰ καὶ γαίη  
 ἅπασ' ἐν ὄρεσιν εὐθαλές τι σοὶ γεννᾷ,  
 βοτάνην τέρειναν καὶ δρόσου γεμισθεῖσαν.

Sequitur diasceustae versio:

οἷς νομῆα τοιάδε προσεξήνυδα·  
 κείρεις μὲν ἡμᾶς καὶ πόκους ἔχεις κέρσας,  
 γάλα δ' ἀμέλγειν ἐστὶ, κεί φίλον, πῆξαι,

ἡμῶν δὲ τέκνα μῆλά σοι περισσεύει.  
 σὺ δ' οὖν ὀδηγεῖς πρὸς μόνην νομῆν ἡμῶς.  
 πλέον γὰρ ἡμῖν οὐδέν· ἀλλὰ καὶ φορβὴν  
 πᾶσαν φέρει σοι γῆ τιθνηῖς ἀπάντων.  
 κὰν τοῖς ὄρεσσιν εὐθαλές τι γεννᾷ σοι  
 ζεῖδωρος αἴῃ σῶν ἀπειράτως ἔργων,  
 αὔρας νοτείης καὶ δρόσον πεπωκνίας.

Plurima sunt in his quae optimae frugis esse dixeris. Nam praeter très integros versus, qui si leni mutatione adiuti fuerint, Babrio non indigni evadent, lucramur etiam novas lectiones quae vel primo aspectu facile se commendant. Quid enim melius excogitari potest quam illud ἀμέλγειν ἐστί, κεί φίλον, πῆξι;? Φορβή pro τροφή ipsum per se veri simillimum est: vereor tamen ut per legem Fixio-Ahrensianam admitti possit. Felicissime autem inventus est versus ultimus, quem equidem, si de eius auctoritate aliquid compertum sit, sic refingendum esse dixerim, αὔρας νοτείης καὶ δρόσον πεπωκνία, vel, si propter versum malis, αὔρας νοτείας καὶ δρόσους πεπωκνίας, genitivo absoluto, ut saepe, in locum alius casus substituto, cum saepissime inter se commutentur πεπωκέναι et πεπωκέναι (de qua re consulas Cobetum in novis lectionibus p. 402), lectio autem γεμισθείσα videatur ducere ad πεπωκνία, ita ut de dittographia facile cogitaveris. Quidnam igitur dicendum est? Si omnia sic gessisset diasceuasta, optime de nobis esset meritis, ut qui etiam in corrumpendo Babrio Babrium nobis notum fecisset; cum autem in hac una fabula aliquid et aperte bonum et aperte novum protulerit, in ceteris aut ineptus fuerit aut Lachmanni imitator, nihil egit quam ut regulam, quod aiunt, exceptione probaret. Quod igitur ad eas fabulas attinet quae antea a criticis restitutae sunt, existimandus est Lachmanni quidem familiaritate usus esse, Babrium autem vix unquam vel a limine salutasse.

Est etiam aliud ex quo iudicare possis num is qui sub diasceuastae persona latet vere Babrius fuerit. Dico autem modum quo fabularum argumenta tractavit. Plerarumque quidem fabularum quae in secunda ista parte continentur exstant versiones pedestres in Aesopearum fabularum codicibus conservatae. Quod genus versionum cum viri docti inde a Bentleio intellexerint plerumque e fabularum Babrianarum depravatione ortum esse, profecto non mirandum est inter novas quoque fabulas Babrianas et pedestres versiones, quod ad narrandi morem attinet,

similitudinem quam maximam intercedere. Verum e XCV istis fabulis octo ad minimum sunt quae in fabularum Aesopearum collectionibus desiderantur. Quae res ipsa minime praeter spem evenit, cum etiam ex genuinis Babrii fabulis nonnullae sint quibus nihil simile habent Aesopi codices. Casu autem perquam grato accidit, ex octo quas memoravi fabulis septem a variis Graecorum scriptoribus, Aristophane comico, Aristotele, Plutarcho, Luciano, Appiano, Gregorio denique Nazianzeno enarratas esse: quorum quidem narrationes solita diligentia collegit et in editione sua fabularum Aesopearum comprehendit Coraes. Quod item vero Babrio accidit, qui non raro eandem materiam quam alii veteres scriptores tractavit. Tractavit autem ita ut ipse suo loquendi more uteretur, in verba nullius magistri iurare addictus: quae res criticis de aetate eius disceptantibus haud mediocri fuit adiumento. Sic enim Levisius in praefatione parti priori praemissa: „Easdem fabulas quas versibus expressit Babrius aliquoties enarravit Plutarchus, et diversam a Babrio recensionem fere semper secutus est. Fabulis Aesopeis quinetiam bis terve usus est Lucianus: Babrium tamen omnino ignorare videtur.“ Quantum igitur felicior Babrio habendus est diasceusta, quem ignorat nemo, cognitum habent omnes qui eandem materiam tractaverunt, etiam antiquissimi! Nam in secunda fabula enarranda conspirat cum Aristophane, in septuagesima tertia cum Aristotele, in septuagesima octava cum Luciano, in octogesima quinta cum Plutarcho, in octogesima sexta cum Appiano, in nonagesima cum Gregorio Nazianzeno, in nonagesima quinta aut cum Plutarcho aut cum aliis quibusdam scriptoribus a Coraesio collectis, sic ut si non verba verbis, sententiae sententiis plerumque respondeant. Gregorium quidem Nazianzenum missum faciam, ut quem Babrii verba in pedestrem orationem redegisse facile suspiceris: e ceteris, ne longus sim, tres assumam qui cum diasceusta nostro comparentur. Ac primum prodeat Aristophanes, qui fabulam de alauda patrem sepeliente pro rei dramaticae ratione breviter ita percurrit (in Avibus vv. 471 sqq.):

*ἀμαθῆς γὰρ ἔφυς καὶ πολυπράγμων, οὐδ' Αἴσωπον  
πεπότηκας,*

*ὃς ἔφασκε λέγων κορυδὸν πάντων πρώτην ὄρνιθα  
γενέσθαι,*

*προτέρων τῆς γῆς· κάπειτα νόσῳ τὸν πατέρ' αὐτῆς  
ἀποθνήσκειν,*

γῆν δ' οὐκ εἶναι· τὸν δὲ προκεῖσθαι πεμπτιλὸν τὴν  
 δ' ἀποροῦσαν  
 ὑπ' ἀμηχανίας τὸν πατέρ' αὐτῆς ἐν τῇ κεφαλῇ  
 κατοροῦσαι.

Quem satis serviliter secutus est diasceuasta (fab. 2):

Αἴσωπος εἶπε καὶ τόδ' ἐν παλαιφάτοις·  
 ὄρνιθα πρώτην τὸν κορουδὸν γεγενῆσθαι,  
 καὶ γῆς μὲν αὐτῆς εἶπέ μιν προὑπάρχειν·  
 ταύτης δὲ συμβέβηκεν ἕκ τινος νοῦσου  
 φίλον γενήτην τέρμα βιότου πληῖσαι.  
 μήπω δὲ γαίης τηρικαῦθ' ὑπαρχούσης,  
 οὐκ εἶχε, ποῦ γάρ; τὸν νεκρὸν καταθάπτειν.  
 ὁ δ' ἀκτέριστος προυβέβλητο πεμπταίῃ,  
 ὅμως δ' ἀμηχανοῦσαν ἐν κάρῃ θάψαι.

Notissimus est locus Aristotelis fabulam de vulpe et echino sic exponentis (Rhet. 2.20): Αἴσωπος ἐν Σάμῳ συνηγορῶν δημαγωγῶ κρινομένῳ περὶ θανάτου ἔφη· Ἀλώπεκα διαβαίνουσαν ποταμὸν ἀποσθῆναι εἰς φάραγγα· οὐ δυναμένην δὲ ἐκβῆναι, πολὺν χρόνον κακοπαθεῖν, καὶ κυνοραϊστὰς πολλοὺς ἔχεσθαι αὐτῆς. ἐχῖνον δὲ πλανώμενον, ὡς εἶδεν αὐτήν, κατοικτείραντα ἐρωτᾶν εἰ ἀφέλοι αὐτῆς τοὺς κυνοραϊστὰς· τὴν δὲ οὐκ εἶπεν. ἐρομένου δὲ διὰ τί, φᾶναι ὅτι Οὗτοι μὲν πλήρεις μου ἤδη εἰσὶ, καὶ ὀλίγον ἔλκουσιν αἷμα· εἴαν δὲ τούτους ἀφέλῃς, ἔτεροι ἐλθόντες πεινῶντες ἐκπιόνται μου τὸ λοιπὸν αἷμα. Nunc audiamus diasceuastam (fab. 73):

συνηγορῶν Αἴσωπος ἐν Σάμῳ τείως  
 τινὶ γραφὴν φεύγοντι λαγέτη κείνων —  
 ἐτύγχαν' οὗτος τῶν ἄγαν βαθυπλοῦτων —  
 εὐμουσον εἶπε τοῖς Σαμίοισι τὸν μῦθον.  
 ποταμὸν περῶσα ταχύροον ποτ' ἀλώπηξ  
 ἐκ τῶν βιαιῶν ῥευμάτων εἰσεβράσθη  
 σπήλυγος ἔντος εἰς φάραγγα βαθεῖαν.  
 ἔχει πεσοῦσ' ἔκειτο κάπηυδηκίῃ  
 ἀναδραμεῖν τ' ἐκεῖθεν οὐδ' αὖτ' οὐχ οἴη,  
 χρόνον δὲ μακρὸν εἶχε καὶ ταλαιπώρως.  
 σμῆνος δ' ἐπ' αὐτῆς ἤλυθεν κυνοραϊσιῶν  
 πειναλέων τε χαιμάτων μυζητήρων.  
 πλανώμενος δ' ἐχῖνος ὡς πύθην ὄρα,

ταύτην κατακτείρησεν οἷς ὑποτλέυοι·  
καὶ δῆτ' ἐπρωώτησεν εἰ κυνορραιστάς  
βούλοιτ' ἀναιρεῖν· μηδαμῶς, ἔφη κείνη,  
μή μοι δῶκε τούσδε, μή συ, πρὸς νυμφῶν·  
τί δῆ ποτ' οὖν ἀπαλλαγὴν τῶνδ' οὐ βούλει;  
ἔχθνος ἤρετ' ἀδῆτις· οἶδε νῦν γάρ μοι  
πλήρεις πέλουσι παντάπασιν αἰμάτων,  
κηλὰς ἐπέπε, καὶ μικρὸν με μυζῶσιν.  
ἔὰν κορροσθέντων δὲ τῶνδ' ἀπαλλάξῃς,  
ἄλλοι δὲ λιμοζήριοί μ' ἐπελθόντες  
κεῖνοι πρόπασαν νηλεῶς ἐκπιούνται.

Quid ergo? nonne fidi saltem interpretis laudem meruit noster? Verborum quidem copiam habet non mediocrem: sententias Aristotelicas sic sequitur ut servus magistrum. Aliquantum sane ingenio suo indulsit convertendo τὴν δὲ οὐκ ἔὰν ἰν μή μοι δῶκε τούσδε, μή συ, πρὸς νυμφῶν, quam tamen adiurationem facile haurire potuit e vero Babrio (fab. 92. 4), ubi venator timidus rusticum interrogans

ὦ πρὸς σὲ Νυμφῶν, εἶπεν, ἀρα γινώσκεις  
ἵχνη λέοντος ὅστις ὄδε φωλεύει;

Varietatem aliquam reperisse sibi visus est Levisius, qui scribit ab Aristotele demagogum, non divitem, reum fingi. Quod ipsum, si recte aestimaveris, servile diasceuastae obsequium satis arguet. Quorsum enim virum λαγέτην esse dixit? nempe quia λαγέτης idem sonare voluit quod δημαγωγός, scilicet populi ductorem. Vtrum horum verborum male intellexerit non dixerim: certe etymologiam potius quam sensum respexisse iudicandus est, quanquam alibi (fab. 9. 18) vocem λαγέτης, quam e Pindaro desumpsit, rectius usurpavit. Vnde vero novit virum divitem fuisse? Nempe ab ipso Aristotele, apud quem Aesopus perguit dicere, καὶ ἡμᾶς οὗτος μὲν οὐδὲν ἔτι βλέπτει· πλούσιος γὰρ ἐστίν. Iam vero si adhuc putas fieri posse ut diasceuasta cum Aristotele casu conspiraverit, perlege quaeso aliam fabulae versionem, quam e Iosephi antiquitatibus Iudaicis 18. 7 descripsit Coraes, unde noveris quid sit libere, quid serviliter narrare. Quod idem dictum volo de fabula de simiis saltatoribus, ubi diasceuastam, Luciani interpretem, cum Tzetzta, libere narrante, comparare iuvabit. Interim ad Appianum festino, qui fabulam de agricola et pediculis, a Sulla commemoratam, sic effert (Bell. civ. 1. 101): φθείρες γεωργὸν ἀροτριῶντα ὑπέδακνον· ὁ δὲ

δις μὲν τὸ ἄροτρον μεθεῖς τὸν χιτωνίσκον ἐκάθηρεν· ὡς δ' αἰθῆς ἐδάκνετο, ἵνα μὴ πολλάκις ἀργοίῃ, τὸν χιτωνίσκον ἔκαυσεν. Κἀγὼ (Sulla loquitur) τοῖς δις ἡττημένοις παραινῶ τρίτου πυχρὸς μὴ δεηθῆναι. Sequitur diasceuastae versio (fab. 86).

φθεῖρες γεωργὸν ἔδακνον ἄροτριῶντα·

ὁ δὲ δις μὲν τῷ ἄροτρον ἀφείς χιτωνίσκον

ἐκάθηρεν· ὡς δ' ἔδακνον αἰθῆς ἀναιδῆν,

ἀπαλλαγῆναι παντελῶς θέλων τούτων

ἔς πῦρ χιτῶν' ἔρριψε, μὴ θαμάκις λιπουργοίῃ.

Κἀγὼ παραινῶ μὴ τρίτου πυχρὸς δεῖσθαι

ὅς δις γυναικῶν πημοναῖς τετύφωται.

Vides praeter quantum versum omnia ex Appiani verbis in metrum quaeleantque nulla cura redacta esse, adeo ut diasceuasta etiam Sullae monitum enuntiantis personam assumeret, ita tamen ut tritam de fallaciis mulierum sententiam quasi de suo admisceret. Fateor nihilominus esse in ista versione aliquid, quod mihi primo aspectu Babrium referre videbatur. Nam cum Appianus sic loqueretur, ἵνα μὴ πολλάκις ἀργοίῃ, τὸν χιτωνίσκον ἔκαυσε diasceuasta autem sic, ἔς πῦρ χιτῶν' ἔρριψε μὴ θαμάκις λιπουργοίῃ, emergere visus est choliambus Babrianus,

ἔς πῦρ χιτῶν' ἔρριψε μὴ θαμ' ἀργοίῃ,

quod diasceuasta, metri imperitissimus, insolitorum verborum amantissimus, ex industria corrupisse credendus esset. Postea autem, inspecta Furiana versione, intellexi aliud esse quod inter Appianum et diasceuastam quasi medium intercessisse potest. Sic enim procedit Latina versio: *Subuculam in ignem coniectam exussit, ne saepius opus interrumperet.* Nunc demum videmus quare diasceuasta ἔς πῦρ ἔρριψε pro ἔκαυσε, λιπουργοίῃ pro ἀργοίῃ dicere maluerit. Quae suspicio si vera sit, Florentino editore recentior habendus erit diasceuasta noster. Veram autem pro tribunali pronuntiare equidem non ausim; quanquam enim in Furiana ceterarum fabularum versione alia nonnulla sunt quae cum diasceuastae verbis potius quam cum fabulis Graecis pedestribus conspirent, nihil est in quod casu incidisse non possint duo interpretes. Ter quidem ita locutus est diasceuasta ut eum Latine melius quam Graece scire suspiceris: semel in fab. 37. 4, ubi κλέος εἶλον exprimit *gloriam trahebant*, bis in fab. 95. 8, 10, ubi σκίην στήσαι aperte reddit *umbram locasse*, nisi forte de *σταςίμῳ ἀργυρίῳ* Solonis cogitasse putes, ἀντέθηκεν de argumentando

dictum sequente infinitivo *opposuit* haud dubie significat: quarum locutionum secundam habet Furiana versio, primam et tertiam non habet. Quantum igitur ad hoc attinet, licet cogitare de diasceuasta ut de homine Latine loquente; quanquam ego quidem ista indicia aliter interpretanda esse dixerim. Sed ut ut rem constitueris, illud certe efficere debet iniecta de versione Furiana suspicio ut mecum desinas repugnare quominus totam fabulam ex Appiano conflata esse credas. Quidnam igitur de quaestione universa statuendum est? Potest quidem Babrius, de cuius aetate adhuc certant grammatici, Appiano, Luciano, Plutarcho antiquior fuisse: possunt illi fabulas de quibus agitur ex eo sumpsisse: quanquam vel sic in promptu est rogare, cur istas potissimum fabulas delegerint, ceteras quae in priore libro leguntur, si quando fabulari vellent, omnino neglexerint. Quid autem Aristophanes? quid Aristoteles? quibus nemo unquam Babrium antiquiorem fuisse credidit. Aut igitur Babrius in istis fabulis enarrandis de solita via declinasse existimandus est, aut falsarius, dum Babrii personam vult induere, se Babriani moris ignarum esse ostendit.

Possum etiam alia quaedam afferre quae, licet eadem qua hactenus usus sum severitate tractavi nequeant, aliqua ex parte evincere videntur, istas fabulas a falsario esse confictas. De stilo et sermonis elegantia scio magnam sententiarum varietatem semper fore: vix tamen credo quenquam exstare qui toto isto libro perlecto fabulas plerumque admodum ieiune et exiliter narratas esse infitias eat. Non nunc illud queror de quo ante dixi, e versibus ipsis Babrianis tantillum superesse. Nam ut in omnes versus Babrianos pariter saeviisset diasceuasta (id quod multo facilius homini quam quod revera fecit condonaverim), sperandum tamen esset relictum iri non pauca indicia quae isti Babrium aliunde quam e pedestribus versionibus cognitum esse demonstrarent. Pedestrium versionum scriptores Babriani sermonis vestigia saepe obscuraverunt, non raro autem produunt; quae eadem diasceustam, si Babrium, sicut illi, in manibus revera habuisset, praestitutum fuisse exspectaveris. Praestitit sane; sed quomodo? Nempe ubi illi Babriane loquuntur, Babriane loquitur etiam iste: in ceteris super illorum modulum satis humilem vix unquam exsurgit. Rem tetigi superius, mentionem faciens fabulae de gallis et asino, unde luculenter patet quale genus orationis Babrio conveniat, quale pedestribus fabulatoribus, quale denique diasceustae. Quod ibi dixi, de reliquis etiam fabulis

dici potest. Reperies nonnunquam nescio quas poetici sermonis quisquillas, pedestribus versionibus ignotas, quale est istud quod nuperrime protuli, πρὸς νυμφῶν. Dicit de ligno ranarum regulo, ἐς γὰρ νομὴν πέφυκεν ἔμμεν Ἡφαίστου (fab. 9, 21), memorat οἶμον εἰς ἄδου (fab. 18. 17), ἄδου δώματα (fab. 62. 23), πορθμὸν Ἀχέροντος (fab. 81. 23), ubi pedestres scriptores simplicius loquuntur. Est etiam locus in fabula de vespertillione et fele (fab. 67. 5—15) qui rem narrat multo plenius quam pedestres versiones quas nunc habemus, et quidem, ut cum Babrio loquar, οὐκ ἄτερ μούσης. Nam cum pedestris versio satis breviter dicat, τῆς δὲ (γαλῆς) φραμένης μὴ δύνασθαι αὐτὴν (νυκτερίδα) ἀπολῦσαι, φῦσει γὰρ πᾶσι τοῖς πτηνοῖς πολεμεῖν, αὐτὴ ἔλεγεν οὐκ ὄρνις ἀλλὰ μὺς εἶναι· καὶ οὕτως ἀφείθη, diasceuaſta ad hunc modum locutus est:

μή σὺ με θύσης, εἶπεν, ὦ γαλῆ φίλη,  
οὐ γὰρ ποτ' οὐδὲν ἠδίκησ' ἐγὼ ζῶον.  
μεθ' ἡμέρην μὲν οὐκ ἔξιμι τῆς κοίτης,  
ὀπήνικα πρόεισι τἄλλα πρὸς θήρην·  
ἔξιμι δ' αἰεὶ κἄσέληνον εἰς ὄρφνην  
ἔξουο' ἐδωδὴν ἠέρος δροσοβρύτου.  
γαλῆ πρὸς αὐτὴν τοιάδ' ἀνταπεκρίθη·  
καὶ πῶς ἐγὼ λύσω σε, πολέμιος πτηνοῖς;  
οὐ πτηνὸν εἰμι, νυκτερίς προσημείφθη,  
τετράπουν δ' ἐγὼ σοι, καὶ τροφὴν ἔχον θήρην.  
τοῦτ' ἀκούσασ' ἡ γαλῆ παραλείπει.

Obiter moneo in versu penultimo θήρην adiectivum esse, verbis autem τροφὴν θήρην significari victum seu potuis vitam ferinam, ne cum Levisio substituere velis ξηρήν, quod cum verbis ἐδωδὴν ἠέρος δροσοβρύτου vix bene concordat. De ipso loco nihil habeo quod dicam praeter decantatum illud: O si sic omnia! Id autem pro certo affirmare ausim nihil aliud esse in toto isto libro quod narratorem prodit pedestribus prorsus disertiozem. Illud etiam notatione dignum, hanc fabulam alteram esse e duabus, quae, tanquam in describendo libro praetermissae essent, foliis codicis interpositae sunt, ipsae foliis minusculis scriptae. Sed priusquam ad alia transeam, operae pretium fortasse erit prologum, qui fabula prima nescio quo iure inscribitur, attentius considerare.

ἄκουσον, ὦ παῖ, δευτέρων πάλιν μύθων.  
κἂν παραπικραίνω σε τῶν ἀλῶν πλείω,

ἀλλὰ πλέον μέλιτος ὕστερον καθηδύνω.  
 ἤτηρ μὲν οὐκ ἔγωγε· ταῦτα δ' Αἴσωπος  
 ὁ Σαρδιηνὸς εἶπεν, ὄντιν' οἱ Δελφοί,  
 θεοῖσι δρωῶντες οὐκ ἀνασχετά, καλὸν  
 ἄδοντα μῦθον οὐ καλῶς ἐδέξαντο,  
 ἀλλ' ἀπέωσαν νήπιοι κατὰ κρημνοῦ,  
 λιπόντες ἐπιγόνοισι βᾶξιν ἐχθίστην.

Duo prologos scripsit verus Babrius, quorum alter artem fabulandi a mythica quam vocant origine deducit, alter veram artis historiam breviter narrat. Quid autem e tertio isto prologo lucratur? Dicit scilicet poeta fabulas suas primum displicituras, mox placituras esse: verum autem auctorem earum esse Aesopum, qui fabulando non potuit persuadere Delphicis quin de scopulo deiceretur. Hoccine bonus quisquam scriptor dicturus erat? Quod dicit de amaritudine et dulcedine fabularum, id a vero Babrio sumptum monet Levisius; perperam autem diasceuasta intellexit Babrium, qui non putat suas fabulas cuiquam amaras visum iri, sed dicit se Hipponacteam choliamborum acerbitatem deleniisse. Quod non sibi sed Aesopo fabulas tribuit, id vix dixisset verus Babrius, qui in prologis Aesopum magistrum esse affirmat, ita tamen ut suae ipsius laudis non obliviscatur. Quod de Aesopi morte dixit, id, quamvis per se bonum, inepte tamen hic positum est. Potuit locum habere in fabula de cantharo et Iove, quo usus esse fertur Aesopus ut mortem sibi depelleret, in prologo nonaginta fabulis praemisso habere locum vix potuit. Versus autem ipsi, qui ceteram fabulae partem duplo excedunt, non omnino confecti sunt a diasceuasta, sed reficti e fragmentis quae partim Apollonius, lexiçi Homericı scriptor, partim Suidas conservavit. Prius fragmentum, quod auctore non nominato citat Apollonius non Babrio sed potius Callimacho tribuit in editione priorum fabularum Levisius post Schneidewinum, tum quia Babrium Apollonio recentiorem fuisse iudicat, tum propter syllabam brevem in fine choliambi contra Babrii morem admissam. Babrio iam ante tribuerat Lachmannus, cuius auctoritatem hic quoque apud diasceuastam valuisse vix dubito. Viderint autem eruditi qui Babrium tempore Alexandri Severi vixisse existimant quo modo hoc fragmentum civitate Babriana donatum cum recepta de aetate Apollonii opinione possint conciliare. De qua re doleo non fusius egisse Levisium, qui cum in praefatione libri prioris monuisset Apollonium Apione grammatico aliquanto seriorem fuisse, ideoque

Babrio antiquiorem, nunc uno verbo significat lexicī Homerici quod habemus scriptorem post Babrii aetatem vixisse. Vult, credo, lexicon Apollonianum a seriore nescio quo grammatico refectum et interpolatum esse, quod, ut Tyrwhitti verbis de alia re loquentis utar, aut verum est aut non: mihi certe proclivius videtur opinari Apollonium facem praetulisse diasceuastae. Sed de his hactenus: illud autem in universum dictum volo, vel ex summa ingenii tenuitate quam fabulae istae novae fere ubique produunt concludendum fuisse, nihil esse istis cum Babrio commune. Nam si concedam fieri posse ut diasceuasta a Babrio tam longe recesserit ut etiam e conspectu eius omnino abierit, quid tandem effectum erit nisi ut quaestio inter illas abscondatur de quibus valet Herodoteum illud, *ἐς ἀφανὲς τὸν μῦθον ἀνευρίκας οὐκ ἔχει ἔλεγχον*?

Quae quidem protuli graviora sunt, me iudice, quam ut facile quenquam dubitare sinant rem nobis esse non cum Babrio quantumvis *διεσκευασμένῳ*, sed cum falsario satis recente. Neque tamen diffiteor quaestionem non prorsus ex omni parte expeditam esse. Obiter tetigi quaedam quae si ipsa per se examinaveris Babriana videri non negaveris, quales sunt fabulae de ove et pastore et de vespertione et fele. Sunt etiam e versibus in isto libro nunc primum prolatis nonnulli qui tam bene scripti sunt ut Babrium ipsum si non ornaturus, id quod ambitiosius quam verius dictum esset, saltem non dedecoratos concedas. Pro exemplis stent qui sequuntur:

*ἕκαστος αὐτὸν ἐν λόγοισιν ἔξαιρει.*

*πολλοὺς ἔσωσε φθέγμα ῥηθὲν εὐκαιρῶς.*

*ἀναλκίς αὐτὸς ἐς φόνον καλεῖς ἄλλους.*

*ὁ δρῶν ἐν οἷς τέθνηκα, κείνος ὁ κτείνων*

(qui versus, quanquam de locutione *ἐν οἷς τέθνηκα* fortasse dubites, non indignus est qui conferatur cum vere Babriano e priore fabularum parte desumpto, ὁ ζῶντα βλέπτων μὴ νεκρὸν με θρηγείτω)

*οὐπῶποι' ἔγνωσ ὡς πόνος καλῶν δώτης.*

Quorum sane laudem detrudere diasceuastae haudquaquam velim; hoc tamen dico, exstare ex academicis nostratibus, ut taceam de ceteris, qui versus aequae bonos possint pangere. Necnon monui diasceuastam, quamvis plerumque poetici sermonis ignarum, singulari tamen verborum exquisitorum copia pollere, quod patet vel e fabula quam superius exscripsi de vulpe et echino. Res est satis mirabilis: quippe longe plura in istis fabulis invenias huiusmodi voca-

bula quam in carminibus vere Babrianis. Ex his quidem nonnulla imperite, imo barbare conficta sunt: restant tamen haud pauca quae lexicis non invitus addideris, quale est illud *ἀδειμων* (fab. 94. 6), quod iam antea excogitaverat Hermannus ad Aesch. Agam. 321. Quid ergo? Num putas falsarium omnino imparatum ad artem quam professus esset accessurum fuisse? Aliquid certe comparare debuit, ut seu Babrii seu veteris diasceuastae personam satis bene sustinere videretur. Potuitne facilius quam lexica evolviendo, auctores minus notos lectitando, voces novas et *γλώττας*, quales usurpabant scriptores Alexandrini, aut corradendo aut comminiscendo? Sunt fortasse ex istiusmodi vocabulis perpauca quaedam quae aegre reperturus esset falsarius: quae tamen equidem forti fortunae libens imputaverim, cum non nisi *τύπῳ καὶ παχυλῶς* cogitare possim, quibus artibus se instituere potuerit diasceuasta noster. Sed aliud est cuius mentionem fecit Levisius citatus in praefatione versionis Davisianae Londini nuper editae. Dicit vir clarissimus fabulas istas cum pedestribus interdum non data opera sed casu conspirare, id quod neminidum falsario praestare licuit. Quam observationem vellem uberius exponendo planiorem fecisset. Nam si pedestribus fabulatoribus recentior fuit diasceuasta, eorum opera in manibus habere potuit, ita ut quantum ad hoc attinet mirari non debuisses si cum iis non modo saepissime sed omnino conspirasset. Scribit quidem mihi ipse Levisius similitudinem quae inter fabulas istas et pedestres intercedit eam sibi videri quae non a falsario pedestrem fabulatorem imitante sed potius a duobus grammaticis idem opus Babrianum refingentibus exspectanda esset. In quo mihi quidem a viro sagacissimo dissentendum est: quippe qui vix quidquam in istis fabulis videam, si loca quae superius memoravi exceperis, quod non homo quivis mediocri ingenio praeditus e pedestribus versionibus conflare possit. Quam meam sententiam si argumentis stabilire coner totus iste liber mihi exscribendus sit: quoniam autem audio fabulam quinquagesimam nonam, de serpentis cauda et membris, quibusdam videri prae ceteris Babrium *διεσκευασμένον* referre, eam saltem apponam, subiecta pedestri versione.

*οὐρή ποτ' ὄφιος ἤξιον προηγέσθαι,  
 ἔλκειν δὲ τὰλλα τῶν μελῶν ὀπηδούντων.  
 ἀντεῖπεν αὐτῇ πᾶν τὸ σῶμ' ἀφραινούσῃ·  
 πῶς ἕνός ἄνευ κῶμμάτων ὀδηγήσεις,  
 ἐναντίως τε πρὸς τὰ λοιπὰ τῶν ζώων;*

ἀλλ' οὐκ ἔπειθε· τὸ φρονοῦν ἐνικήθη.  
 οὐρῇ μὲν ἦγε κῆρχεν ἀφρόνως ἄλληλη,  
 σύρουσα τυφλῇ σώματος μέλη πάντη,  
 ἕως γε πετρῶν ἐς βάραθρα πεπτῶκει.  
 ῥάχισ, κάρη, πᾶν σῶμα δεινὰ πεπλήγει·  
 σαίνουσα δὴ τοῦθ' ἰκέτευε τὴν κάρην·  
 δέσποινα, σῶσον, λιπαρῶ σε, κινδύνου·  
 ἄλις δὲ κακῆς ἀπολέλανκά τῆς γνώμης.

οὐρά ποτε ὄφρεως ἤξιόν πρώτη προάγειν καὶ βαδίξειν. τὰ δὲ λοιπὰ μέλη ἔλεγον· Πῶς χωρὶς ὀμμάτων καὶ ῥινὸς ἡμᾶς ἄξεις, ὡς καὶ τὰ λοιπὰ ζῆα; ταύτην δὲ οὐκ ἔπειθον, ἕως τὸ φρονοῦν ἐνικήθη. ἢ οὐρά δὲ ἦρχε καὶ ἦγε σύρουσα τυφλῇ πᾶν τὸ σῶμα, ἕως εἰς βάραθρον πετρῶν ἐνεχθεῖσα, τὴν ῥάχιν καὶ πᾶν τὸ σῶμα ἐπλήγει· σαίνουσα δὲ ἰκέτευε τὴν κεφαλὴν, λέγουσα, Σῶσον ἡμᾶς, εἰ θέλεις, δέσποινα· τῆς κακῆς γὰρ ἔριδος ἐπειράθη. Fabulae conformationem Babrio haud indignam esse, non nego: illud autem quaero, quidnam sit in ista fabula metrica quod magis Babrium sapiat quam versio pedestris? Equidem si mihi animus esset e pedestri versione fabulam metricam concinnare, id quod in re tam desperata merus esset ingenii lusus, primum quidem versum libens acciperem, in ceteris vero fere omnibus aliam viam inirem, praesertim in fine fabulae, ubi Babrium dedisse crederem, κακῆς γὰρ τῆς ἔριδος ἐπειράθη. Sed de his hactenus: nunc aliquid veritati concedendum est. Nam fateor istis fabulis inesse paucissima ex quibus non absurde suspiceris diasceuastam aliunde quam ex pedestribus quas quidem habemus versionibus fabulas eruisse. Scilicet duas fabulas, de agricola et serpente et de vulpe et capro, quae in pedestribus versionibus varie exhibentur, ita immutat diasceuasta ut peiores reddat: in tertia, quae de hieme et vere inscribitur, sermonis colorem plerumque conservat, sententiam tamen alio, neque inscite, detorquet. Quas sane varietates potest aliunde delibasse, potest etiam de suo penu prompsisse. Alia fortasse est ratio fabulae octogesimae primae, de puero et patre, in qua cum primum versarer, videbar aut Babrianae orationis aut saltem alius cuiusdam versionis nonnulla indicia deprehendere. Sic enim puer exclamat, leonem pictum detestatus:

ὦ σίγη . . . . . ὀθοῦνεκα ψευδὲς  
 ἐμὸς πατὴρ ὄνειρον εἶδε κατ' ὕπνου,

διὰ τοῦτ' ἐγὼ καθείρομαι μάτην ὕπαρ.

Monet Levisius ὕπαρ hic somnium valere, contra usum receptum. Recte, si quid video: sin autem cum scriptore melioris notae res esset, voci ὕπαρ propriam vim fidenter tribuerem: unde sensus emergeret pulcherrimus: quoniam pater somnium mendax dormiens vidit, idcirco ego sine causa vigilans custodior. Pater dormiens falsam opinionem concipit: puer vigilans verum damnum accipit. Vix repugnabo si quis diasceuastam verba Babriana male intellecta in proprios usus convertisse putaverit, modo meminerit verum sicut nunc legitur a Babrio profectum esse non posse. Leoni conviciatus puer iniicit manum virgulto

ἔμελλε γὰρ λέοντα φλοξί τεφρωῶσαι.

Vbi Levisius adnotat: „Hinc patet codicis Florentini lectionem, τὸν λέοντα καῦσαι, quod editores in κροῦσαι mutare volunt, recte se habere“. Scilicet κροῦσαι propterea maluerunt de Furia et Coraes quod in altera versione legerant, καὶ εἰπὼν, ἐπέβαλε τῷ τοίχῳ τὴν χεῖρα, ἐκτεφρωῶσαι τὸν λέοντα. Neque iniuria, quantum ad sensum attinet: namque et leonem in pariete pictum facilius excaecares quam combureres, et narrandi concinnitas postulare videtur vulnus acceptum esse ab eo qui vulnus alteri inferre voluisset. Itaque facile coniiceres Babrium dedisse τεφρωῶσαι, quo in τεφρωῶσαι depravato, φλοξί addidisse diasceuastam. Haec, aio, si nulla aut modica suspicione laborarent istae fabulae, fidem aliquam iis fortasse afferre possent. Ut nunc est, nihil aliud efficere videntur quam ut ostendant, quod in fabula de agricola et pediculis superius notavi, quam dubia sint omnia istiusmodi argumenta, quae spectant non quid scripserit diasceuasta sed quid cogitaverit, non quid in manibus sed quid in animo habuerit

Transeo ad aliud quod fortasse maiorem cuipiam scrupulum iniiciat. Obiter enim indicavi praeter eas quas memoravi fabulas restare etiam unam cui nihil simile habeant pedestres Aesopi versiones. Dico autem fabulam trigesimalam primam, cui titulus est mendacia et veritas. De qua quid statuendum sit equidem vix habeo dicere. Nam quod ad metrum sermonisque colorem attinet, fere similis est reliquis quas non aliorum sed suo ingenio e pedestribus versionibus excitavit diasceuasta: quod autem ad argumentum et narrandi artem, certe Babrio non indignam dixerim. Quam ut totam exscribere supersedeam, operae pretium videtur pauca quaedam de ea disserere. Fingit enim satis lepide auctor, quisquis ille fuerit, mendaciorum turbam, magnifico apparatu per pagos iter facien-

tem, incidere in puellam quandam paupere cultu, specie autem bona, eamque secum in diversorium ducere: ibi opipare excepta negare se pretium epularum solutura, utpote iam antea numeratum: tandem, caupone Deorum fidem implorante et rogante ubi esse Veritatem, prodire puellam et dicere se Veritatem esse, fame autem perituram fuisse, nisi subvenissent mendacia. Nova profecto et ingeniosa narratio, neque absona a Babrii ingenio, qui in alia fabula, iamdudum a viris doctis restituta, levitatem inducit tanquam puellam vultu deiecto deserta habitantem. Cuius generis si plura dedisset diasceuvasta, optime de literis meritum esse libenter pronuntiaverim, qui quamvis Babrii verba omnino corrupisset, sententias et narrandi morem satis bene conservasset. Nunc id tantum quaero, quibus e fontibus fabulam tam disertam haurire poterit: quod velim investigent si qui varias fabulas tam recentes quam antiquas cognitae habeant. Interim cum doctis communicabo observationes pauculas, partim e nupera codicis inspectione ortas, quae notis Levisianis additamento sint. In v. 16, ubi nunc legitur *ἔστι πλησίον κώμη*, olim fuerat *ἔστιν ἐν κώμη*, addito puncto: post deletae sunt literae *ιν ἐν*, additum est *πλησίον*, quod voci *κώμη* praerponendum esse monent signa *β, α*. Quod propterea notavi, quia fortasse ansam praebet suspicioni cum qui codicem descripsit, fabularum aliqua saltem ex parte auctorem fuisse. In v. 17 codex habet *ἔχει πικηδείων*, quod metri causa loco *ἔχει ἐπιηδείων* restituendum. In vv. 35, 36 de puella dicitur

*ἐφίσταθ' ἢ σύνδειπνος ἐν πύλης βηλῆ*

*ἔριν βλέπουσα, καί τ' ἄναδος εἰστήχει.*

Dicit Levisius se non videre quid *ἔριν* significet, sensum autem *κάτω βλέπουσα*, vel tale quid, poscere. Recte quidem: quanquam enim codex diserte exhibet *ἔριν*, apertum est auctorem; Ionicarum formarum amantem, *ἔρην*, hoc est, terram, verbum non nisi grammaticis notum, voluisse. Errorem ex etacismo ortum possis librariis attribueret: possis etiam attribueret consuetudini hodiernae Graecorum, eodem modo sonos *η* et *ι* efferentium, id quod testatur ipsius Minoidis Menae nomen, quod alii Menas scribunt, alii Minas, alii denique Mynas. Vv. 42, 43 sic leguntur,

*μὰ τοὺς καθ' ἑμᾶς νῦν ἐόντας ἀνθρώπους*

*οἱ χαίρετε ψεύδεσσι κοῦκ ἀληθείη.*

Quos sensu carere pronuntiat Levisius: ego ut expediam, advocandum erit fragmentum Sophoclis (137 ed. Nauck.), conservatum a scholiasta Euripidis Hippolyti 309. Sic igi-

tur scholiasta: ελώθασιν οί ειρωνευόμενοι κατά τῶν ἐχθρῶν ὀμνύναι, ὡς καὶ Σοφοκλῆς ἐν Μυκηναίαις·

μὰ τὴν ἐκείνου δειλίαν, ἧ βόσκειται,

Θῆλος μὲν αὐτὸς, ἄρσενας δ' ἐχθροὺς ἔχων.

Quae verba nihil praesidii afferunt ad illustrandum locum Hippolyti, ubi Phaedra per Dianam iurat, nostro vero lucem praebent haud contemnendam. Ironice capienda esse vix crediderim, quanquam satis acerbe dicta sunt; videntur autem mihi vim habere imprecationis, 'male sit illius ignaviae'. Non igitur iurat veritas per homines apud quos vivit, sed potius eos execratur. Quod si verum est, non nego aut Babrio aut veteri diasceuastae magis convenire quam hodierno falsario, qui tamen hanc locutionem aut e glossario aliquo eruisse, aut, quod feci ipse, in Sophoclis fragmentis observasse potest. Habeat autem suam sibi laudem auctor fabulae, quisquis ille fuerit.

Quae modo dixi admonent me de alia re quae fabularum istarum defensoribus fortasse faveat. Sunt enim in istis fabulis loca quaedam vitio descripta: quorum partem correxit Levisius, partem notavit, partem etiam praetermisit. Quam rem ut ad liquidum perducere possem, constitui ipsum codicem inspicere; quo facto inveni nonnulla Levisium fefellisse, quod in maxima literarum similitudine nequaquam mirandum, cetera ita esse ut a viro accuratissimi studiosissimo descripta sunt. Quoniam autem in libro evolvendo operam etiam dedi ut rasuras omnes observarem, satius videtur omnia quae notatione digna duxi subiicere in gratiam eorum qui quid isti codici insit scire velint. Sequuntur igitur notae secundum fabularum ordinem dispositae. Fab. 9. versus 7 in margine codicis positus est. Fab. 16. 2 codex diserte exhibet ἄσπερ, quod sensu postulante coniecerat Davisius. Ib. versus 14 literis uncialibus scriptus est, ut epimythium sit. Fab. 17. versus 2 recte descriptus esse videtur a Levisio, qui tamen iure pronuntiat sensum mancum esse. Ib. v. 18 epimythium est. Fab. 18. v. 2 sic est ut Levisius descripsit. Ib. v. 10 in margine positus est. Fab. 22. 15 non interpunctum est inter δρῶσιν et οὐχί. Fab. 23. 10 non ἐδρήμει scriptum est, sed, ut videtur, ἐδρήναι, facili errore pro ἐδρηκέναι: x enim et η fere similiter scripta sunt. Ib. versu 12 legitur πεπαγίδεντ<sup>ο</sup>, quod genus compendii plerumque -ος significat; in fab. 13. 16 autem codex exhibet ἐπυθάνοντ<sup>ο</sup>, ne forte dubites descriptorem πεπαγίδεντο voluisse. Fab. 24. 7 notat Levisius sensum posci contrarium quam qui

inest verbis κέρα' ἄνωθεν ὀμμάτων θεῖναι, unde ego conieceram κέρα κάτωθεν, quod firmatur verbis alterius e pedestribus versionibus (ed. Cor. p. 121), κάτωθεν τῶν ὀμμάτων λέγων ὀφείλειν κείσθαι: codex tamen κέρα' ἄνωθεν exhibet. Fab. 25. 10 prima litera vocis ἄλλους loco alius cuiusdam literae scripta est. Fab. 27. 8 in rasura scriptae sunt duae posteriores literae vocis προσειρήκοι. Fab. 29. 3 θαιτέρην πηρός est in rasura, quae etiam praecedentem et sequentem vocem aliquatenus contingit. Fab. 33. 3 quod conieceram εἴ γ' pro εἰ γάρ confirmat codex, ubi eodem fere modo scripta sunt γ' et γάρ; quod testatur fab. 82. 7, ubi pari iure εἰ γάρ descripsisset Levisius. Similiter in fab. 34. 5 ἔγωγ' procul dubio voluit descriptor, habet etiam versio pedestris. Ib. versu 6 στρογγύλα sic scriptum est ut appareat posteriores literas olim aliter exaratas fuisse: sequebantur etiam aliae literae, fortasse εἰ. Fab. 36, 9 in rasura sunt τε καί, rescripta est item tertia litera vocis πρόσωπα. Fab. 37. 4 codex exhibet εἶλκον, non, quod suspicabar, εἶλον. Ib. versu 5 in rasura est οὔσα καί: prior lectio videtur fuisse ἐκώτιλλεν εἶσος. Fab. 40. 23 in rasura et litura est ἔξεῦρον. Ib. versu 25 in rasura est ἐνεργόν, quod ex literis partim erasis partim servatis alius cuiusdam vocis compositum est. Fab. 43. 6 pro δοτῆρι conieceram δαιῆρι hoc est, divisoni, quae vox, quanquam lexicis ignota esse videtur, ad sensum foret accommodatissima: in codice autem plane legitur δοτῆρι: neque ego in tali scriptore de lectione depravata cogitaverim. Ib. versu 9. τῆ ad hunc modum scriptum est, τ ῆ, erasa quae intercedebat litera. Fab. 45. 7 codex habet δεῖ, non, quod posuit Levisius, ἀεῖ, literis uncialibus A et A non multum inter se differentibus, praesertim cum in rasura sit A. In rasura sunt etiam litera I et prior pars vocis ΤΑΧΟΣ, quae in locum brevioris cuiusdam vocabuli suffecta est, ita ut necesse fuerit superius scribi literas — ΟΣ. Fab. 48, sicut etiam fab. 67, post scriptum codicem inserta est, eadem manu descripta folio minusculo. Fab. 49. 13 codex exhibet συνείλετο, non quod dedit Levisius συνείλεθ' ὁ. Decepit virum doctum syllaba -το in rasura scripta. E vestigiis erasarum literarum coniecimus prius scriptum fuisse συνείλετ' ὡς. Fab. 50. 11 non μικράν sed νεκράν legitur in codice quanquam magna est scripturarum similitudo. Νεκράν iam antea e pedestribus versionibus erueram, sensu postulante. Fab. 54. 18 in rasura sunt literae quatuor priores et octava vocis κατατρίβων. Fab. 56. 7 dicit Levisius in codice esse τετυχηκυη ε suprascripto: ego τοῦ ε

nec volam nec vestigium reperire potui. Obiter moneo perperam coniecisse Levisium *τιχη τινί*, cum multo verisimilius sit *τετυχηκυη*, quod metrum conservat, calami lapsu scriptum esse pro *τετυχηκυία*, diasceusta, ut solet, perfecti formam imperite usurpante. Fab. 60.11 in rasura est prima litera vocis *φονευτήρα*. Fab. 65. 2 erasum est aliquid ante *κρατήρ*: videtur tamen prior lectio fere eadem fuisse. Fab. 68.13 nullus dubito quin *ἔπνω τε* errore scriptum sit pro *ἔπνω το*, quod sensus poscit: in codice autem legitur *ἔπνω τε*. Fab. 71. 1 in litura est quinta litera vocis *προσηρίζεν*. Fab. 73. 4 post *τοῖς* erasum est verbum, quod fortasse fuit ipsum *τοῖς* geminatum. Fab. 76. 8 dubitanter conieceram *συνεῖεν*: habet tamen codex *σύννοιεν*. Fab. 78. 14 conieceram *δυννηρόν*: codex genitivum pluralem servet, sensu credo partitivo. Fab. 80. 15, 16 primum conieceram *προσαπολλύει*, postea putabam v. 15 *διὰ μέσον* positum esse. Rem planam facit codex, ubi signis *β α* indicatum est versus esse transponendos. Fab. 81.4 non inepte suspicetur aliquis diasceustam barbaram dedisse *σκεύσας*, quod idem esset ac *σκευάσας*, cum in pedestri versione sit *οἶκημα κάλλιστον καὶ μετέωρον κατεσκεύασε*: habet vero codex *σπεύσας*. Ib. versu 9 *λύπη* quod ex utraque versione conieceram pro *λύσση* etiam in codice legitur: sic autem scriptum est ut facile duplicis *σ* speciem referre videatur. Fab. 82. 3 *οὐκ ὄντος* supra versum scriptum est. Fab. 87. 3 *ἔδοντος* fuerat *ἔσθιοντος*: in *ἐκτάδην* nihil variatum est. Fab. 89. 5 habere videtur codex *ἔτω γ'*: confer quae dixi ad fab. 33. 3. Fab. 90. 20 reposueram e Nazianzeno *ἐπεὶ δὲ κήξίσσαν, οὐκ ἄτερ μούσης* relato ad verbum subauditum, quod paullo melius esset: habet autem codex *ἔμπης δὲ γ' ἠξίσσαν*. Ib. versu 23 codex servat *ἐπαίσσων*, quod non cum Levisio ex *ἐπαίσσω* duxerim sed potius ex *ἐπαῖω*, futuro *ἐπαῖσων*, quod et ipsum nihili est, a diasceusta in ionicam formam converso, quemadmodum verus Babrius fab. 12. 21 pro *χωρίσης* fortasse usurpavit *χωρίσσης*. Fab. 94. 10 *δέ με* supra versum scriptum est. His adiicio unam observationem quae licet non ex ipsa codicis inspectione orta sit, ab iis quae in codice animadverti fidem accipit. Fab. 27. 9 reposuit Levisius *προσφωνήκοι* pro illo quod in codice esse dicit *προσφωνείη*. Ego quanquam locum non inspexi, crediderim in codice scriptum esse *προσφωνείη*, cum ibi similiter exarata sint alias *κ* et *η*. *Προσφωνείη* autem scriptum est pro *προσφωνοίη*, ut fab. 86. 5 *λιπουργείη* pro *λιπουργοίη*, fab. 17. 17 *ἔλκειεν* pro *ἔλκοιεν*. Error inde ortus esse videtur quod Graeci hodierni, si recte didici,

eodem fere modo diphthongos *ei* et *oi* sonere solent. Fortasse contrario modo peccatum est fab. 76. 8 de quo supra dixi. Atque haec sunt quae a codice tanquam spolia reportavi. Meminerint lectores me non id egisse ut codicis collationem instituerem, quod de fide eius dubitanti vix operae pretium fuisset, sed tantum ut in nonnullis locis quae non recte descripta esse putarem quid vere dedisset descriptor intelligerem. Cum autem viderem voces non paucas in rasura scriptas, has etiam prout potui in tabulas meas retuli: vereor tamen ne unam et alteram praetermiserim, ea quae in tabulis notavi semel atque iterum vix recte interpretatus sim. Quibus de rasuris, ut etiam de fabulis post codicem scriptum insertis, quaestio oritur sane non levis momenti: vellem enim scire num Menas, qui codicis Athoi accuratissimum exemplar confecisse professus est, in rasuris quoque et insertis fabulis archetypum secutus sit. Equidem ut quid sentiam dicam, suspicionem movent loca qualia sunt fabb. 29. 3., 31. 16., 37. 5., 40. 25 diasceustam nostrum ne inter describendas quidem fabulas ingenio pepercisse sed ea quae prius concinnavisset etiam tum concinniora reddere voluisse. Quid autem universe de corruptis codicis lectionibus statuendum? Dixi eas fabularum istarum defensoribus fortasse favere: sunt tamen hic quoque quae e contraria parte allegari possint. Qui enim codices antiquos fraudulenter simulat, si librum mendis carentem producat, facile deprehenditur: quod nuper animadversum est a viro docto nostrate de specimine Vranii Simonidei Oxoniam perlato. Non igitur absurdum est credere falsarium nostrum hanc culpam procul a se amovendam de industria curavisse. Potest etiam istos errores neque multos neque erubescendos mera incuria fudisse, dum fabulas a se compositas de novo et quidem satis operose describebat.

Hic tandem, re quantum in me est pertractata, commentationi meae finem imponam. Egi quidem partes accusatoris, ita tamen, ut spero, ut iudicis quoque officium non omnino neglexerim: nunc quaestionem totam eruditus commendo. Consentientem fortasse habebit Cobetum, quem sero didici in *Mnemosynes* vol. 8 p. 339 de una et altera istarum fabularum speciminis loco a Duebnero evulgatis sententiam his verbis tulisse: „Fieri potest ut abiectissimae aetatis Graeculus ista paene *βαρβαριστι* conscribillaverit, fieri potest ut impostor aliquis nostrae aetatis credulam eruditorum turbam ludificari et emungere voluerit, sed ut ex genuinis Babrii carminibus quidquam in istis sordibus insit

id vero fieri non potest<sup>4</sup>. Fabulis totis perlectis reperiet, opinor, vir doctissimus nonnulla sordibus istis meliora, perpauca vutem Babrio digna: reperiet etiam quaedam quae ante hos sedecim annos, nondum publicata Lachmanni editione, scripta esse nequeunt. Non is sum qui pronuntiare ausim quis auctor, sive unus seu plures fuerint, quibusve praesidiis adiutus, fabulas istas confecerit, quanquam putaverim eum e recente aliqua fabularum Aesopearum editione, Furiana aut Coraesiana, pleraque hausisse, lexica quoque et glossaria antiqua sat's diligenter lectitasse: illud autem pro certo affirmaverim, quod dicit Menas, se codicem istum e vetere archetypo integrum ad amussim descripsisse, factum esse non posse.

Scr. Oxonii m. Febr.

Ioannes Conington.

---